



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *UYOËNSIS** A DIOECESI CALABARENSI
QUIBUSDAM DISTRACTIS LOCIS

NOVA CONDITUR DIOECESIS *UYOËNSIS* NOMINE APPELLANDA

Studio postulatoque perpenseo, quod ad novam respicit dioecesim intra fines civilis provinciae vulgo « Akwa Ibom » in Nigeria constituendam, Nos, in hoc maxime studentes ut « populi Dei saluti quam perfectissime fieri potest ministretur » (CD, 22), de sententia Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium negotia Congregationis pro Gentium Evangelizatione procurantium, quam sententiam nuper ad Nos relatam ratam facimus, deque plenitudine potestatis Nostrae Apostolicae, ipsis in idem consentientibus quorum interest, haec per has Litteras statuimus, quae sequuntur, atque iubemus. Memoratae civilis provinciae « Akwa Ibom » portionem ab Ecclesia Calabarensi separamus novamque dioecesim *Uyoënsis*, eandemque et flumine « Cross River » ipsaque dioecesi Calabarensi ad orientem, et finibus dioecesis Umuahiaënsis ad septemtrionem, et confinio dioecesis de Ikot Ekpene ad occidentis regionem, et mari « Bight of Bonny » necnon dioecesis Portus Harcurtensis terminis ad meridiem definitam, condimus et Metropolitanæ Ecclesiae Onitshaënsi suffraganeam subicimus, statuentes ut nova sedis et cathedra episcopalis in urbe « Uyo » ad templum Christi Regis collocetur. Quae omnia hic iubentes decrevimus ad effectum adducat Venerabilis Frater Paulus Tabet, Apostolicus in Nigeria Pro-Nuntius vel ecclesiasticus vir ad id quem ipse delegaverit, necessariis factis facultatibus ; ipsi addito effectori onere ut certum verumque actae executionis litterarum exemplum ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione iusta cum diligentia transmittatur. Apostolicas denique has Litteras ratas nunc et in posterum esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die quarto mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo nono, Pontificatus Nostri undecimo.

AUGUSTINUS card. CASAROLI

a publicis Ecclesiae negotiis

IOSEPHUS card. TOMKO

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

*A.A.S., vol. LXXXI (1989), n. 11, pp. 1186-1187

© Copyright 1989 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana